DISPUTATIO THEOLOGICA DE DUOBUS FOEDERIBUS DIVINIS.

QVAM,

Favente Deo Opt. Max.

Ex decreto Mag. D. Rect. & Senatus Academ. in inclyta Academiâ Vltraject. pro titulo Doctoris,

Ventilandam proponit,

GUALTERUS de BRUYN Theologiæ ibidem Professor & Ecclesiæ Pastor.

RESPONDENTE

GISBERTO KOCK, Ultrajectino.

Ad diem 11. Februar. horâ nonâ Matutinâ.

VLTRAIECTI,

Ex Officinâ JOHANNIS à WAESBERGE,

Anno clɔ Iɔ CLIII.

Magnificis, Amplissimis, Prudentissimisq;

D.D. CONSULIBUS ET SENATORIBUS INCLYTÆ REIPU-BLICÆ ULTRAJECTINÆ.

Hanc Disputationem Theologicam

Dedicat atque offert,

GUALTERUS de BRUYN

DISPUTATIO THEOLOGICA

Continens PROBLEMATA,

DE

DUOBUS FOEDERIBUS DIVINIS.

Quæstiones Theticæ

* *Principales.*

AN omne Fœdus Dei propriè dictum, sive consideretur ante lapsum sive post, sit mutua Dei & hominum obligatio de vita æterna ipsis certa conditione danda? *Aff.*

An promissiones fœderis operum sint temporales tantum? *Neg.*

An comminatio mortis, fœderi operum addita sit, mortis corporalis spiritualis & æternę? *Aff.*

An mors corporalis sit naturæ hominis concreata? *Neg. C. Socin.*

An promissa fœderis Mosaici tantum hujus vitæ omnia commoda, omnemque terrenam fœlicitatem continebant? *N.C.Socin.*

An Deus operum fœdus inierit cum Adamo solo, an vero cum omnibus ipsius posteris; vel sic. An fœdus operum cum Adamo inierit Deus simul ipsius & posterorum ipsius nomine? *Aff.*

An omnes posteri Adami vel ob solam illam transgressionem actualem Adami justè à Deo morte æternâ puniri possint? *Aff.*

An fœdus Israëlitis Mediatore Mose repetitum, & in duas Decalogi tabulas relatum, sit rejpsâ idem cum fœdere inito cum primis parentibus in Paradiso? *Aff.*

An fœdus legale attemperatum sit statui hominis lapsi? *N. c. Corvinum.*

An fœdus gratiæ æque ac operum ad omnes homines pertineat? *N. c. Socin.* &c.

An in fœdere gratiæ vita æterna operibus sit promerenda æque ac in fœdere operum? *N. c. Pontif.*

An in fœdere gratiæ comminatio aliqua transgressori proponatur? *Neg.*

An qui sunt in fœdere gratiæ nullum jus habeant ad vitam, ante perseverantiam in fide & obedientiâ usque ad extremum vitæ halitum? *N. c. Rem. & Soc.*

An fœdus Euangelicum de gratuitâ remissione peccatorum in Christo consequenda demum inceperit cum Christo nato? *Neg. c. Socin.*

An Deus in fœdere gratię promittat totum fœdus operum? *Aff.*

An Abrahamus adeptus sit primam promissionem Messiæ? *Neg.*

An propter conditiones fœderi gratiæ additas non aliter ad salutem æternam admittendi simus, quam ut salutis funambuli, filum tenuissimum vocationis Divinæ lapsabundo gradu insistentes? *N. c. Bertium.*

An fœdus gratiæ in Christo initum solummodo sit de justificandis & salvandis quotquot in Christum crediturierant? *N. c. Corvinum.*

An fœdus gratiæ in eo consistat, quod Deus abrogata perfecta obedientiæ legis exactione fidem ipsam, & fidei obedientiam imperfectam pro perfecta legis obedientia reputet, adeoque hominem justificet, & vitæ æternæ præmio gratiosè dignum censeat? *N. c. Corvin.*

An novum fœdus hoc sit, quod Deus sibi obedientibus sempiternam beatitudinem promittat? *N. c. Socin.*

An

An in fœdere novo obedientia justificet, quia facit justum eo modo quo temperantia facit temperatum, prudentia prudentem, castitas castum, sc. essentialiter, constituatque hominem in eo statu ut veniæ capax sit? *N. c. Hobb.*

An pacto novo conventum sit ex parte hominum, ut Deo servirent Abrahami, eo ritu, quem doceret Jesus; ex parte Dei ut remitteret illis peccata, & in regnum cœleste ipsos introduceret? *N. c. Hobb.*

An ad fœderis gratiæ cum Deo contractionem invitentur soli fideles? *Aff.*

An in Euangelio contineatur doctrina operum, & leges variæ, ejusque promissiones requirant conditionem legis implendæ. *N. c. Pontif.*

An homines religiosi, qui ante Abrahamum vixerunt non tam ex generalibus præceptis apertè à Deo propositio, quam ex rectæ rationis judicio vitam ac mores suos composuerint? *Neg. c. Specin.*

An in eorum temporum, quę diluvium antecesserunt, Historiâ à Mose descripta, nullum reperiatur generale Dei præceptum hominibus propositum? *N. c. Socin.*

An legem morales quoad sensum perfectiorem & quatenus perpetuam, omnibusque numeris absolutam mandatorum Divinorum observationem postulant, post lapsum servare non sit prorsus, naturaque sua impossibile? *Neg. c. Soc.*

An Euangelium contineat comminationes? *Neg.*

An promissiones Euangelicæ adeo universales sint, ut nullius quantum ad Dei intentionem & juvandi promptitudinem attinet particularitati sit locus? *Neg. c. Luth.*

An Euangelium propter ullam nostram dignitatem, intentionem, opus, meritum, ullamve in nobis dispositionem, promittat nobis gratiam, misericordiam, remissionem peccatorum, & vitam æternam? *Neg. c. Pontif.* 30

An præcepta Decalogi possint servari ab iis, qui operantur ex gratiâ, neque Christus ab eorum observatione nos libera-

beraverit? *N. pr. Aff. post. c. Pontif.*

An V. T. tantum promissiones temporales habuerit? *N. c. Socin.*

An eadem conditio fidei patribus & piis sub V. T. mandata sit, quæ mandatur sub N. T. *Aff. c. Soc.*

An Gentes in V. T. extra ecclesiam viventes æque placebant Deo, modo sequerentur justitiam per legem naturæ, quam Judæi, qui cultum Cæremonialem à Deo mandatum observabant? *N. c. Pelag. antiq. de nov.*

An V. & N. T. eorumque sacramenta differant in substantialibus? *Neg.*

An populus Dei, qui extitit inde ab initio mundi constituerit nobiscum unum corpus mysticum Ecclesiæ Catholicæ, cujus caput est Christus? *Aff. c. Socin.*

An in V. T. sacrificiis hominum peccata expiata fuerint hoc pacto, ut Deus si sacrificii cujuscunque ab illo præscripti religio ritè administraretur, omnes peccato obstrictos impunitate donare decreverit? *N. c. Soc.*

An Christus à Deo Patre missus fuerit ad percutiendum pactum novum inter Deum & populum ejus? *N. c. Hobb.*

An in Veteri T. non pauci fuerint homines, qui legem moralem secundum sensum imperfectiorem accommodatum statui populi Judaici adhuc rudis & carnalis conservaverint? *Neg. c. Socin.*

40 An fœdere per Mosen cum Israëlis facto futuri Messiæ promissum nequaquam continetur? *N. c. Socin.*

An Deus quosdam justitiæ cultores sub V. T. tum terrenis bonis ex pacto, tum cœlestibus ex voluntatis suæ arbitrio cumulare decreverit, & illos qui ob pietatis, Divinæque gloriæ studium loco fœlicitatis tum promissæ multis ærumnis atque calamitatibus vexati fuere, in iisdem cum Christianis beatis sedibus collocare, & sic plus quam pollicitus erat illis dare constituerit? *N. c. Soc.*

An Deus voluerit ut Christus in novo fœdere primus immortalitatis & præco & dator esset? *N. c. Soc.*

An Christus in Novo Test. novam fidei doctrinam, perfectiorem justitiam, & promissiones non temporales duntaxat & terrenas, ut in V. T. sed æternas insuper promiserit? *N. c. Anab.*

An Christus legem decem præceptorum reformarit, & novam perfectiorem condiderit? *N. c. Anab.*

An promissiones ex parte Dei in novo fœdere factæ hæc sit summa, quod omnia scelera atque flagitia voluntariâ oblivione contriturus tutorque ac bene factor omnium illorum futurus sit, qui vitâ impurâ relicta omne studium ad sanctissimi istius fœderis conservationem contulerint? *Neg. contra Socin.*

An promissio novi fœderis quæ ad hanc vitam & animam spectat, sit potissimum hæc una, sc. Spiritus Sanctus, per quem nos aliquando in cœlestis hereditatis possessione constituendos, exploratissimum habemus? *Neg. c. Socin.*

An novi fœderis promissa beneficia individua sint duo, perpetua sanctificatio & remissio peccatorum perpetua, per sanguinem & mortem Christi parta? *Aff.*

An evangelium de gratuita remissione peccatorum in Christo viguerit & obtinuerit à primo mundi conditu, adeo ut quivis quorumvis temporum sancti non alio modo, mediove salvati sint, quam fide Jesu Christi? *Aff.*

An præcipuum Vet. & N. Testamenti discrimen sit, quod testamentum Vetus doceat facienda, sed non conferat gratiam exequendi ea, quæ imperantur, atque ea propter non justificet: Novum autem testamentum & facienda doceat, & gratiam qua imperata fiant, conferat, atque idcirco per legem spiritu cordibus inscriptam justificet? *Neg. c. Becanum.* 50

An Christus in evangelio tradiderit tria peculiaria præcepta antea ignota, quorum observatione homo ad summum perfectionis gradum assurgit, adeo ut eorum præstatione plus præstet, quam lex præcipiat? *Neg. c. Pontific.*

An fœdus gratiæ sit omni parte & mere gratuitum, excludens

dens quavis quorumvis hominum qualitates? *Aff.*

An doctrina de fœdere gratiæ (ut tenetur à Reformatis, & à Socinianis, Pontificiis, Anabaptistis & Remonstrantibus negatur) sit necessaria & fundamentalis? *Aff.*

An doctrina de fœdere operum & gratiæ habeat peculiares & distinctos usus practicos? *Aff.*

✻ *Minus Principales.*

AN utrumque Dei fœdus, operum & gratiæ, dici possit gratuitum? *A. e. Diff.*

An in Scriptura memorentur tria Divina fœdera; primum quod contractum fuit in Paradiso terrestri, & naturale dicitur; secundum quod Deus pepigit peculiari ratione cum Israële, & appellatur legale; tertium quod gratiæ dicitur, & patefactum est Euangelio? *Neg.*

An Deus post lapsum per aliquot secula sine expressa lege & fœdere cum hominibus egerit? vel sic; an Deus primum mundum sine lege scriptâ ad normam solius rectæ rationis absque ullis promissionibus specialis alicujus benevolentiæ suæ vivere permiserit? *N. e. Episc.*

An in sacris literis triplicis proprie dicti fœderis à Deo cum hominibus initi mentio fiat; primum quod cum Abrahamo Deus pepigit; secundum quod cum populo solo Israëlitico, per manum Mosis ex Ægypto educto, percussit; tertium quod cum populis & gentibus omnibus sine discrimine, per Messiam temporibus ultimis inivit? *Neg. contra Episc.*

An Deus potuisset primos parentes sine ulla fœderis societate regere? *Aff.*

An fœdus naturæ sit æternum, & solum illud, quod legislatione Mosaica sancitum fuit, sit antiquatum? *Neg.*

An Deus fœdus operum inierit cum Angelis? *Disq. perm.*

An fœdus operum sit initum cum Christo? *N. e. Diff.*

An Deus excidetic fine suo per violationem fœderis operum? *N.*

An

An incertum & inexplicabile? utrum posteri Adami, si status innocentiæ permansisset, legi non edendi ex arbore scientiæ boni & mali obligandi fuissent? *N. c. Perer.*

An præceptum non comedendi ex arbore scientiæ boni & mali soli Adamo sit datum, an simul & Evæ? *Aff. post.*

Cur Deus non sit comminatus Adamo pœnam interni, sed mortis? *Ab. qu.*

An Deus legem non edendi ex illâ arbore imposuerit Adamo propter has rationes tantũ. 1. ut declararet, se Dominum esse hominis, & hominem à se factum libero arbitrio præditum esse 2. ut homini materiam præberet exercendi obedientiæ virtutem? *Neg. c. Perer.*

An Adamus ante peccatum habuerit jus regni cœlestis? *N. c. concil. Trid.*

Utrum Adam manente statu innocentię peccare venialiter potuisset? *Neg. & q. A.*

Utrum si Adam non peccasset, posteri ejus generati, fuissent in gratia confirmati? *Aff.*

An si Adamus non peccasset filius Dei fuisset incarnatus? *N. c. Perer.*

An fœderis operum sacramenta fuerint duo: arbor vitæ & arbor scientię boni & mali? *Aff.*

An arbor vitæ fuerit typus Christi? *Neg.*

Quomodo fœdus operum per arborem scientię boni & mali fuerint significatum & obsignatum? *Expl.*

An vita æterna in fœdere operum fuisset meritum obedientiæ? *Aff. c. D.*

An fœdus operum in ordine ad redemptos sit antiquatum & in usu esse desierit? *A. c. Dist.*

An fœderis operum promulgatio sit frustranea in statu miseriæ? *Neg.*

An eadem sit obligatio hominis in fœdere operum ante & post lapsum? *Neg.*

An promissio fœderis operum hæc duntaxat fuerit, quod Deus amorem suum perrennaret creaturę rationali in of-

 ficio

ficio erga Creatorem cum humilitate ac fiducia perleveranti? *Neg.*

An repromissio mercedis in fœdere operum fuerit futura metabasis hominis in vitam æternam Cœlestem anima & corpore glorificatis fruenda? *Aff.*

An mortis comminatio in fœdere operum fuerit arbitraria? *Neg.*

An post violatum fœdus operum Deus teneatur promissioni suæ de dando homini facienti debitum officium, vitam æternam cœlestem? *Neg.*

An post violatum fœdus operum maneat hominis obligatio ad perfectam legis obedientiam? *Aff.*

An Deus irritum fecerit pactum suum primum, quo justitiam & vitam in legis obedientiâ posuerat? *Neg.*

An fœdus operum sit mutatum, & gratiæ ejus loco surrogatum? *N. c. D.*

An Deus hodiè aliquid agat contra fœdus primum? *N.*

An quia reatum mortis æternæ commedendo incurrerint parentes nostri, necesse fuerit ut mortem æternam subirent? *Neg.*

An juxta fœdus Dei morte moriebatur Adam, qua die comederat de fructu prohibito? *Aff.*

An si Deus cum primis parentibus nobilque omnibus stricto jure ageret, dum secundum fœdus operum ageret, propterea omnes & singuli sine spe veniæ debeant sub illa condemnatione relinqui? *N.*

An Adamus ex fœderis legalis propositione, cui erat subjectus credere debuerit sine spe veniæ se eodem die, si peccaret, moriturum? *N. c. Corv.*

An Deus nolit à fœderis sui violatore coli? *N. c. Corv.*

An fœdus cum Adamo initum non fuerit fœdus legale? *N. c. Corv,*

An Scriptura sacra nusquam doceat arborem vitæ obsignasse ullam promissionem præter naturalem de vita perpetua & affluente omni bonorum genere in paradiso terrestri fruen-

fruenda? *N.*

An fœdere legali ſpectato in ſe præciſè Iſraëlitæ etſi revera peccatores erant, ſupponuntur eſſe immunes à peccato? *Neg.*

An fœdere legali quod Deus cum Iſraëlitis iniit, reliquæ omnes gentes excludantur? *Neg.*

An promiſſio fœderis legalis conſiſtat in beatitudine perfectiſſimâ cum animi tum corporis fruenda in perpetuum in terra Canaan? *Neg.*

An in fœdere naturæ præmium expectare non potuerit creatura niſi ex Dei mera bonitate? *Neg.*

An fœdus legale fœderis Euangelici figura fuerit? *Neg.*

An fœdus naturale viguerit duntaxat ad primum peccatum? *Neg.*

An Deus Adàmo ſi ab Arboris ſcientiæ boni & mali fructu ſibi temperet, non promiſerit aliquod obedientiæ præmium? *Neg. contra Socin.*

An præceptum quo primi parentes noſtri ab arboris illius fructu prohibebantur, non fuerit generale ſed ſpeciale? *Neg. c. Socin.*

An Adamus in fructum, à quo Deus ipſi præſcripſit abſtinentiam, naturali inclinatione propendebat? *Neg. c. Epiſc.*

An vita Adamo obedienti promiſſa fuit, ut ſtirpi & capiti; an ut perſonæ ſingulari & individuę? *Aff. primus contra Epiſc.*

An pacto inter Deum & Adamum prohibita ſit diſputatio de mandatis ſuperiorum? *N. c. Hobb.*

An alia cauſa movens fœderis gratiæ ſit, vel dari poſſit quam Dei miſericordia? *Neg.*

An Chriſtus ut mediator ſit author fœderis gratiæ? *Neg.*

Utrum ſtipulatio Dei in fœdere gratię ſit abſoluta an conditionata? *Diſq. perm.*

An fœdus gratiæ fuit initum cum omnibus adultis externè fœderatis? *Neg.*

An cum omnibus infantibus? *Neg.*

An cum amentibus & insanis? *Aff. c. D.*

An Deus in fœdere gratiæ restipuletur obedientiam præceptis suis debitam? *Aff. c. D.*

An ad fœdus gratiæ necessario intercedat mors Christi? *Aff.*

60 An in confirmatione fœderis gratiæ cum Abrahamo & Israëlitis Deus excludat gentes? *Aff.*

An aliquæ promissiones fœderi gratiæ cum Abrahamo confirmato sint annexæ? *Aff.*

An fœdus gratiæ repetitũ sit per Mosen, & ab eo Cæremoniis confirmatum? *Aff.*

An quia Deus fœdus gratiæ ex mera misericordia nobiscum inierit, ei liberum sit quales ipsi visum fuerit conditiones ponere? *N. c. Corv.*

An potuerit esse alia conditio fœderis gratiæ, quam fides & pœnitentia? *Neg.*

An Deus novo fœdere cum hominibus ex gratia inito, quo conversionem & fidei obedientiam à peccatoribus exigit, & sub ejusdem conditione gratiam reconciliationis promittit, teneatur ex æquitate hominibus, viribus ad obedientiam istam præstandam suâ naturâ destitutis, vel actu eas conferre, vel ad conferendum paratus esse? *N. c. Corv.*

An nihil aliud novo fœdere Deo præstandum incumbit ex promisso, quam ut reconciliationem & salutem communicet fœderatis modo credant & obedientiam Euangelicam præstent? *Neg.*

An omnes & singuli quibus prædicatur Euangelium sint fœderati Dei? *N. c. Corv.*

An fœdus quod Deus iniit cum populo Israëlitico ex servitute Ægyptia educto, appelletur vetus respectu fœderis cum Abrahamo initi? *Aff. c. Episc.*

An officium quod in fœdere gratiæ exigitur, positum sit in unâ conditione fidei, & non in pietate, justitiâ & sanctimoniâ

monia? *Neg.*

An hoc officium sit conditio antecedanea, cujus causa præ- 70
mium rependitur? *N. c. D.*

An fœdere gratiæ solummodo hæc quatuor promittantur, 1. justificatio. 2. sanctificatio. 3. corporis resurrectio. 4. vita beata in Cœlis agenda? *Neg.*

An soli fœderati per fœdus gratiæ jus in bona hujus vitæ temporalia habeant? *In neg. inclin.*

An in fœdere gratiæ sit interminatio pœnæ ob incredulitatem, quæ non quidem ad fœderis naturam spectat, sed illud extrinsecus accedit? *Neg.*

An fœdus Euangelicum tempore prius sit legali? *Dist.*

An fœdus Euangelicum promulgari aperte cœperit statim ab effusione S. S. super Apostolos, & quæ istud tempus antecesserunt, fuerint elementa, seminaque? *Neg.*

An fœderis quod Deus fecerat cum Abrahamo, summa in hoc constiterit, ut Abrahamus coram Deo ambularet, perfectusque esset, Deus vero ipsius posteritati faveret, omnibusque pro eo ac promiserat bonis illam cumularet? *Neg. c. Socin.*

An Adamus acceptatione promissionis *Gen.* 3. 15. non sibi soli, sed omnibus suis posteris acquisiverit & propitiationem, & remissionem reatus, adeo ut nemo ex naturali semine ejus ab ipso instaurato genitus propagatus & natus secundum naturæ cursum nascatur cum peccatis aut mortis æternæ reatu? *N. c. Anabap.*

An fœdere cum Abrahamo inito promissa fuerit remissio peccatorum & vita æterna; an vero peculiaris protexio, gubernatio, & terrena felicitas tantum? *Aff. pr.*

An fœdus illud gratuitum a primo lapsus tempore initum cum fidelibus patribus substantia ipsa idem sit cum Testamento novo? *Aff.*

An fœdus gratiæ fuerit initum cum Ismaële & Esavo? *Neg.* 80

An soli Deo competat invitare homines ad fœdus gratiæ secum ineundum? *Aff.*

An nulla vocatio ad reprobos dirigatur à Deo? *Aff. c. Diſt.*

An Deus mandet fidem omnibus & ſingulis, quibus Euangelium prædicatur citra diſcrimen reproborum & electorum? *Aff.*

An quotquot ex operibus juſtitiam quærunt renunciantes fidei in Chriſtum condemnarentur ob defectum fidei, ſi legem præſtarent? *Neg.*

An aliud ſit vocari intentione ut credant, aliud vero vocari intentione ſalvandi? *Diſt. perm.*

An gratia remiſſionis peccatorum, juſtitia & vita æterna omnibus per novum teſtamentum oblata, ſolis conferatur credentibus? *Neg.*

An vocatio ad fœdus gratiæ reprobis fruſtra ſonet? *Neg.*

An Euangelium, ut ſit, ſua habeat præcepta à legis præceptis diſtincta? *Neg.*

An Euangelio, ut ſic, urgeatur operum juſtitia, qualem lex exigit? *Neg.*

An per Euangelium ſit abrogata lex moralis? *Neg.*

An primis duobus mundi millenariis Euangelium de Meſſia venturo ſolis Prophetis extra ordinem fuerit revelatum, reliqui autem ſalvati ſint ſolo naturæ fœdere? *Neg.*

An lex Adamo ante lapſum data ſpem veniæ excluſerit? *N.*

An Euangelii Myſterium excellerit fidei vires Adamo, in creatione conceſſas? *Neg.*

An Euangelij Myſterium exſuperaverit omnem cognitionem naturalem ante lapſum in genere rei cognoſcibilis? *Neg.*

An Deus etiam ſine Euangelii prædicatione beneficia mortis Chriſti parta hominibus adultis communicare poſſit & velit? *N. c. Socin. Rem.*

An obedientia legis exigatur ab homine non ex vi fœderis primi, ſed ex fœdere novo & gratioſe inito? *N. c. Cory.*

An lex Divina alia ſit Moſaica alia Euangelica? *N. c. Pont.*

An lex vetus fuerit perfecta & ſufficiens ad ſalutem, ſicut lex Euan-

Euangelica? *Q. abſ.*

An legis veteris præcepta moralia obligent nos Chriſtianos non ſolum quatenus in cordibus noſtris & in Euangelio ſcripta ſunt, ſed etiam quatenus tradita in lege Moſaicâ? *Aff. c. Pontif.*

An lex vetus ſit abrogata à Joanne Baptiſtâ, An à Chriſto? 100
Aff. pr. contra Pont. c. Diſt.

An lex vetus ceſſavit in morte Chriſti quoad obligationem utilitatem & efficaciam? *Aff. c. D.*

An Chriſtus inſtituerit novam legem ad Chriſtianos pertinentem, ac proinde non tantum redemtor, ſed etiam legiſlator ſit dicendus? *N. c. Pont.*

An lex nova quæ à Chriſto data eſt, contineat triplicia præcepta: Moralia, Sacramentalia, & fidei? *N. & q. Ab.*

An præcepta Sacramentalia de Baptiſmo & Euchariſtia nos obligent, neque ſine eorum obſervatione ſalutem conſequi valeamus? *Aff. pr. Neg. poſt.*

An ſecundum Reformatos præceptum fidei obliget omnes mortales, & ſolum obliget? *Neg. c. Becan.*

An Deus Adamo etiam obedientiam aliquam lege morali præſcripſerit in Paradiſo? *Aff.*

An in regno Dei naturali, in quo Deus regit per dictamina rectæ rationis, regnandi & puniendi eos, qui leges ſuas violant, jus Deo non ſit à pacto, ſed à ſolâ potentiâ irreſiſtibili? *N. c. Hobb.*

An non fuerint aliæ leges aut cultus, quibus Abrahamus tenebatur præter leges naturales, & cultum rationalem & circumciſionem? *Aff. c. Hobb.*

An vitæ æternæ promiſſio ſpecialis non reperiatur in V. T., ſed illa duntaxat generalibus promiſſionibus ſubfuerit? *Neg. c. Epiſc.*

An officia, quæ ab Abrahamo ſtipulatus eſt Deus in fœdere, fuerunt hæc tria: 1. ut crederet Deo, quidvis etiam ſupra opinionem & ſpem omnem promittenti. 2. ut ambularet coram Deo. 3. ut Deo imperanti in omnibus obſeque-

sequeretur? *Neg. c. Episc.*

An fœdus novum rectè definiatur, Misericors vel gratiosum illud pactũ, quod Deus ultimis temporibus per filium suũ Jesum Christum cum Judæis & Gentibus pepigit, in quo remissionem peccatorum, vitam æternam, & Spiritus sui S. gratiam, resipiscentibus & in filium suum credentibus, singulari ratione promittit: infidelibus vero & in peccato perseverantibus, iram & condemnationem æternam comminatur? *N. c. Episc.*

An inepti sint, qui fidem & resipiscentiam eo quod propriè & verè præcipiantur, aut sub promisso novi fœderis comprehendant, aut habituum vel qualitatum infusarum nomine definiant? *N. c. Episc.*

An comminatio fœderi novo propria una sit; nimirum mortis atque condemnationis, sive iræ Dei æternæ? *Neg. c. Episc.*

An ex pacti formula ab Abrahamo promissa fuit obedientia, non pro se tantum sed etiam pro semine suo? *Neg. c. Hobb.*

An fides Abrahami in eo sita fuerit, quod non dubitaverit Deum fuisse illum cujus vocem & promissa audierat? *N. c. Hobb.*

An pacto cum Abrahamo inito adjecta sit circumcisio ut signum tantum? *N. c. Hobb.*

An cum Abrahamo primum initum sit celeberrimum illud pactum quod appellatur pactum & fœdus &, testamentum antiquum? *N. c. Hobb.*

An pactum hoc consistat in eo, ut Abrahamus agnoscat Deum esse Deum ipsius & seminis ejus, hoc est, illi submittat se regendum, & ut Deus det Abrahamo hæreditatem terræ illius in qua tunc habitabat, sed ut peregrinus? *N. c. Hobb.*

An legum in universum per manum Mosis traditarum aliæ naturaliter obligent, aliæ ex vi pacti initi cum Abrahamo, aliæ ex pacto illo solo, quod postremum initum est cum popu-

populo Hebræorum ad montem Sinai? *N. c. Eund.*

An præceptum Decalogi primum obliget non naturaliter 120
ſed ex vi pacti initi cum Abrahamo? *N. c. Eund.*

An manifeſtiſſimè contractus novi partes ibi explicentur, ubi princeps quidam Regnum Dei tanquam licitans Servatorem noſtrum interrogat: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo *Luc.* 18. 18. Chriſtus autem ei proponit primo partem pretii unam; nim. obſervationem præceptorum, quam cum præſtitiſſe ſe reſpondiſſet, adjungit alteram fidei ſc. unum inquiens, deeſt; omnia quæcunque habes vende *v.* 22. &c.? *N. c. Hobb.*

An in fœdere novo fides juſtificet eo ſenſu, quo juſtificare dicitur judex, qui abſolvit enim per ſententiam, quæ actu ſalvum facit? *N. c. eund.*

An novum fœdus contineat promiſſiones Dei de corpore noſtro tum alendo & veſtiendo, tum defendendo? *inclin. in Aff.*

An novi fœderis promiſſiones confirmatæ ſint, 1. per Chriſti, quatenus Propheticum munus ſuſtinuit, ſanctitatem, miracula, & mortem; 2. per hoc quod Deus Chriſtum ex mortuis excitatum, & in cœlum aſſumptum, divinum, cœleſtemque regem effecerit, & ſummum Pontificem noſtrum conſtituerit? *N. c. Soc.*

An Ethnicis tempore legis æque ac nunc præſenti tempore data fuerit converſio ad vitam, & æque tunc legitimus Deoque acceptus fuerit, atque nunc, cultus ſeu religio Ethnicorum qui Deum timebant, & juſtitiam operabantur? *N. c. Outerm.*

An Decalogi tabulæ expreſſam fœderis operum formam contineant? *Aff.*

An Euangelium annuntiet omnibus in univerſum hominibus, ſive crediderint, ſive non crediderint, pro iis propitiationem per Chriſtum eſſe factam? *Neg.*

An quibus Euangelium prædicatur, illis omnibus ſufficientia ad credendum media donentur? *N.*

An convenientia cum lege Dei in ſtatu integritatis eaſdem virtutes conſtituebat, quæ poſt lapſum virtutes ſunt? *Aff. c. D.*

130 An legis promulgatio in ſtatu innocentiæ fuerit ſimpliciter ad obedientiam obligatoria? *Neg.*

An lex ſimpliciter conſiderata, ut eſt obedientiæ poſtulatoria, æque pertineat ad fœdus operum & gratiæ? *Aff.*

An lex obedientiam Deo debitam pro ſummo ſuo jure poſtulare ſine promiſſione vitæ æternę ex parte Dei, & Euangelium gratiam Dei annuntiare potuiſſet ſine promiſſione obedientiæ ex parte hominum? *Aff.*

An lex ſine ſpe venię mortis pœnam ſit minata? *Neg.*

An Chriſtus promulgaverit tria ſingularia præcepta, lege non comprehenſa, ſed ad Euangelium peculiariter pertinentia, vid. abnegationem ſui, tolerantiam crucis, & imitationem Chriſti? *N. c. Soc. & Rem.*

An Concio de venturo Meſſia inſignatur uſpiam à Spiritu Dei appellatione Euangelii? *Aff. c. D.*

An fidelium, qui ante Chriſtum defuncti fuere, animæ fuerint in cœlum receptę; an extra cœlum in alio aliquo ubi aut loco aſſervatæ uſque ad Chriſti in Cœlos aſſenſionem? *N. c. Pont. & Anab.*

An teſtamenti veteris idem fundamentum ſit cum teſtamento novo? *Aff.*

An novi teſtamenti cultus ſit ſemper uniformis ad finem mundi duraturus? *Aff.*

An novo teſtamento ſit proprium, quod ſub illo facta ſit aſſumtio gentium? *Aff. c. Anab.*

140 An ſub novo teſtamento duplex regimen Politicum & Eccleſiaſticum locum habeat? *Aff. c. Anab.*

An, qui ſola naturæ luce ducuntur, habeant non tantum quo cohibeantur, ſed etiam quo ad Chriſtum perducantur? *Neg.*

An Judæis, qui ſub V. T. vixerunt & mortui ſunt, mandata ſint fides in Chriſtum, iiſque ad ſalutem fuerit neceſſaria? *Aff.*

Aff. 2. Rem.

An si collatio instituatur inter V. & N. T. etiam respectu substantiæ oppositio deprehendatur? *Neg.*

An V. & N. Test. differant 1. Mediatore. 2. Dispensationis modo. 3. Promulgationis tempore, loco, duratione, latitudine, complexu. 4. Objectorum pariter, ac promissionum extrema disparitate. 5. Effectis? *Neg.*

An Doctrina Veteris & Novi testamenti differat 1 mysteriis fidei, 2 promissionibus, 3 comminationibus, 4 præceptis 5 sacrificiis & sacramentis? *Neg. contra Pontificios*

An novæ legis Sacramenta sint instrumentales causæ Gratiæ, eamque conferant immediatè? *Neg. contra Pontificios.*

An promissa fœderis Veteris omnia fere fuerint carnalia & temporalia ad præsentem hanc vitam solummodo pertinentia? *Neg. contra Episcopium.*

An ad Novum fœdus non pertineat præceptum legis moralis quartum de Sabbatho sive diei septimi sanctificatione? *Neg. contra Episcopium.*

An pactum cum Abrahamo initum, renovatum sit per Mosem cum toto populo Iseraëlis ad montem Sinai, *Exod.* 19? *Neg contra Hobb.*

An testamentum legale tum primum cœperit, quando Deûs 150
duxit populum ex Egypto? *Neg. & q. A.*

An fideles Veteris testamenti intellexerint ceremonias legales fuisse typos Christi & beneficiorum ejus? *Aff.*

An fideles sub veteri testamento mortui non eandem mensuram beatitudinis statim sint assecuti cum eâ, ad quam Christus morte suâ & adscensu in cœlum aditum patefecit? *Neg.*

An Deus ante Abrahami ætatem sibi obediri voluerit nullo fere generali præmio proposito, quia nihil se cuiquam debere, sed omnium rerum absolutissimum dominum esse ostendere voluit? *Neg. contra Socin.*

An Novum testamentum non nisi post Johannem à Christo

ipso revelatum fuerit, tum cum actu publicè officium suum administraret? *Neg. contra Anabapt.*

An Christi doctrina ante passionem ejus non tam quoad omnes partes observari debeat quam post mortem ejus? *Neg. contra Anabapt.*

An doctrina & Lex Mosis ita à Christo sublata sit ut nos non amplius obliget? *Neg. contra Eos.*

An in Veteri testamento Deus Pater tantum invocatus fuerit, Christus verò in novo testamento docuerit discipulos suos patrem invocare in nomine filii? *Neg. contra Eosdem.*

An sub Veteri testam. juramenta permissa & perjuria tantum vetita fuerint. Sub novo verò testam. juramenta omnia planè prohibita sint? *Neg. contra Eosdem.*

An in Novo testamento Sabbathi observatio merè cæremonialis à Christo reddita sit, & internum tantum Sabbathum Christianis sit necessarium? *Neg. contra Eosdem.*

An in Veteri testamento vindicta permissa fuerit, sub novo verò non sit permissa? *Neg. contr. Eosd.*

An Divortium & Polygamia ob imperfectionem Veteris testamenti permissa fuerit? *Neg. c. Eosd.*

An inter Judæos & Gentiles in Veteri testamento discrimen nullum fuerit nisi quoad cæremonias legis, & externam ac corporalem puritatem vel impuritatem? *Neg. c. Eosd.*

An Sacramenta Novi testamenti nuda tantum passionis Christi signa sint, & tesseræ Christianorum? *Neg.*

An sub Veteri testamento Locum habuerint pœnæ Politicæ sine disciplina Ecclesiastica? *Neg.*

An Circumcisio fuerit Sigillum non ad certiorationem datum sed consignationem ejus quod nunc resignetur in baptismo? *Neg.*

An unquam solâ legis & fœderis legalis διαθηκῃ constitit solida conventio fœderis Dei cum Ecclesiâ veteri? *Neg.*

An fœderis gratię Oeconomiam ab Adamo ad Christum Vetus testamentum spectet, Novum verò testamentum ejusdem fœderis administrationem Christo jam exhibito? *Aff.*

An

An Veteri testamento duę conditiones adjectę fuerint prima perfectæ obedientiæ, quam ad normam legis implenti testamentum hoc largitur vitam æternam, Altera fidei, quæ Dei misericordiam per & propter mediatorem Christum amplectitur? *Neg. cum distinct.*

An ignota fuerit hominibus, qui ante Abrahamum vixerunt promissio de Messia? *Neg. contra Socinian.*

An promissiones Euangelicæ, rectè distinguantur in universales & particulares? *Neg.*

An Moses fuerit minister fœderis naturalis & supernaturalis *Aff.*

An Cæremoniæ Mosaicæ utrique fœderi ante Christi adventum servierint? *Aff.*

An Johannis Baptistæ ministerium ad novum testamentum pertinuerit? vel sic An Nov. Test. à prædicatione Johannis primum cœperit? *Aff. contra Bellarmin.*

An vi fœderis debitum nascatur tam Dei, quam hominum respectu? *Aff.*

An quocunque sensu sumatur fœdus Dei, Filius sit ejus fundamentum? *Neg.*

An sub novo testamento correctum sit octavum Decalogi præceptum per quartam petitionem Orationis Dominicæ *N. s. Socin.*

An Deus potuerit in fœdere operum stipulari aliam conditionem, quam perfectam legis obedientiam? *Q. Cur.*

An fœdere quod Deus cum Israëlitis iniit ex servitute Egyptiâ eductis contineatur promissum de personâ Messiæ *N. Episc.*

Quid causæ fuerit cur Deus vitæ æternæ promissionem in hanc vitæ senectam distulerit? *Quæritur abs. à Socin.*

An promissiones Abrahamo factæ duplicem sensum habue- 180
rint, litteralem de bonis carnalibus, & mysticum sub littera absconditum, ita ut per terram Canaam promissam Deus significarit cœlum, per semen Abrahamo promissum Jesum Christum & populum ejus Christianum: per justi-

ficationem Abrahami ante circumcisionem acceptam, justificationem tam Gentilium, quam Judæorum sine operibus legis futuram? *N.c. Epist.*

An sensum hunc mysticum sub promissionibus carnalibus Abrahamo factis, veluti, sub umbris ac typis comprehensum fuisse, doceat Apostolus in epist. ad Rom. ad Gal. ad Hebr. *N.c. eundem.*

An Abrahamus primus & sine exemplo crediderit Deo promittenti, & nemo fuerit à quo de Dei promittentis fide ac veracitate certior fieri possit, aut qui fiduciæ exemplo ei præivisset? *N.c. eund.*

An Deus in V.T. partim ex vi generalis promissionis, partim ex justitiæ atque æquitatis dictamine, voluerit atque intenderit cultoribus suis fidis etiam præmium æterne vitæ donare, quando ii aut non consequebantur bona specialia fœdere Mosaico promissa, aut bona ista tanti non putabant, ut de iis vel consequendis admodum laborarent, vel consecutis magnopere gauderent, Deum Deique cultum digniorem esse arbitrantes quam ut bonorum tam vilium spe redimatur aut exerceatur? *Neg.c.eund.*

An fideles & sancti V.T. ex vi generalium promissionum, aliisque multis indiciis divinę benevolentiæ, habuerint causam credendi firmiter majora beneficia à Deo manere fideles & Sanctos, quam ea quæ promissis specialibus legis Mosaicę continentur? *N.c. eund.*

An ejus fidei mentio vix ac ne vix quidem ulla ante Machabæorum & deinde consecuta tempora, reperiatur *N.c. eund.*

Quæ-

Quæstiones Hypotheticæ.

* *Minus Problematicæ.*

AN liceat Magistratui sub novo testamento gladio uti? *Aff.*

An nemo sub V. T. conscientia illęsa munere Magistratus fungi possit, & ista sint incompatibilia, Magistratum exercere, & membrum esse veræ Ecclesiæ? *Aff. pr. N. post.*

An Magistratui sub N. T. licet bellum indicere vel gerere? *Aff.*

An in novo Testamento Disciplinæ Ecclesiasticæ locus sit non vero pœnæ Politicę? *Neg.*

An sub novo Testamento illicitum sit alios in jus vocare, & litigare coram Magistratu? *Neg.*

An sub N. T. illicitum sit arma ferre, sive defensive in excubiis, sive offensivè in bello, & illi operam suam addicere, vel commodare? *Neg.*

An ex *Ioan.* 5. 39. probetur vetus Testamentum habuisse promissionem vitæ æternæ? *Aff.*

An nemo unquam extiterit ante Christum, qui vel suspicari auderet vitæ æternæ promissum contineri his verbis: *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, Matth.* 22. 31.? *Neg.*

An quia Abrahamus, Isaacus, & Jacobus expectarunt vitam æternam, sequatur eam illis apertè promissam fuisse? *Aff.*

An ex *Gen.* 3. 15. probetur fœdus gratiæ initum esse cum protoplastis? *Aff.* 10

An *Gen.* 17. 7. cum Abrahamo iteretur fœdus gratiæ initum cum Adamo; an vero novum quoddam fœdus feriatur familiæ Abrahami peculiare, nihil aliud complectens, quam terrenas benedictiones? *Aff. pr. Neg. post.*

An

An ſemen Serpentis *Gen.* 3. 15. notet gregem Diabolorum ſub uno certo duce & anteſignano Satana Primario? *Neg.*

An ex *Gen.* 2. 17. probetur fœdus operum eſſe initum cum homine in ſtatu integritatis? *Aff.*

An Abrahamus dicatur ad *Rom.* 4. 11. accepiſſe ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei, eo quod Deus hoc monumento juſtitiam illius quam per fidem adeptus erat, ad poſteritatis memoriam conſecrare voluerit? *Neg.*

An verba in comminatione; *morte morieris. Gen.* 2. 17. non poſtulent aliam mortem, quàm ſine pœnâ æterni ſenſus mortem corporalem, quam præcedunt mala omnia ad mortem diſponentia, & quam deinde æterna pœna damni ſubſequitur? *Neg.*

An quia V. T. fideles expectarunt Meſſiam hinc ſequatur eos habuiſſe promiſſionem vitæ æternæ? *Aff.*

An ex Enochi in Cœlum elatione ejuſmodi generalis promiſſio elici poſſit, quâ omnibus cum pietate viventibus eadem felicitas pacta fuit? *Aff.*

An nonnulli *Patres* aliàs celebres & laude digniſſimi ſtatuerunt homines in V. T. qui ſeculo Patriarcharum vixerunt ſolius legis naturæ obſervatione ſalvatos eſſe, qui vero vixerunt, ex quo lex per Moſen lata eſt, impletione legis Moſaicę vitam indeptos eſſe; in N. autem Teſt. homines ſola lege juſtificari & vitam conſequi? *Aff.*

An quidam *è Patribus* docuerint Chriſtum in N. T. magis ardua, & perfectiora tradidiſſe præcepta, quam unquam in V. T. tradita fuerunt, quam quoque ſtatuerint fuiſſe cauſam ob quam Chriſtiani ſalventur ob præcepta Euangelica, cum V. T. præcepta non contulerint ulli ſalutem? *Aff.*

20 An *Arminius* ſtatuerit in V. T. non extare promiſſiones de vita æterna? *Aff.*

An idem *Armin.* docuerit non patuiſſe ſanctis ingreſſum in cœlum antequam Chriſtus in Cœlos glorioſè aſcenderit? *Aff.*

An

An *Lutherani* sine contradictione negent fœdus gratuitum à primo lapsus tempore initum cum fidelibus patribus substantia ipsa idem esse cum Testamento novo? *N.*

An *Iidem* recte negent sacramenta novi & veteris Testamenti esse eadem quoad substantiam? *N.*

An circumcisionem servisse ad confirmandam fidem Abrahæ probetur ex epist. *ad Rom.* 4. 11. *Aff. c. Episc.*

An Christi argumentatio, quando ex his Dei verbis: ego sum *Deus Abrahami* &c. colligit contra Saduceos, sub lege Mosis etiam resurrectionem mortuorum promissam fuisse, non sit demonstrativa & necessaria, sed nitatur solummodo rectâ ratione, quæ jubet pro certo habere, ubi generalia verba sunt, ibi intelligi posse omnia sub generali isto comprehensa, imprimis ea quę Deo dignissima, & bonitati ejus convenientia sunt, meritisque optimorum & Deo gratissimorum hominum non incongrua? *N. c. Eund.*

An quia author epist. ad *Hebr. c.* 9. 16. 17. quę de novo fœdere & pacto in V. T. dicuntur, de testamento proprie dicto exponit, inde probetur eum non fuisse Paulum, neque peritum Hebręi sermonis? *Neg.*

* *Propriè & strictè dictæ Problematicæ.*

AN Sponsor fœderis gratiæ quoad conventionem principalem novè contraxerit idem fœdus operum, quòd Deus ab initio sanxerat cum Adamo primo, una induens illam ex fœderis transgressione ortam obligationem ad pœnam, quę nobis incumbebat: vel sic: An inter Deum & Sponsorem nobis substitutum instaurata sit legalis operum dispensatio de imputandâ operanti mercede, non ex gratiâ sed ex debito? *Neg.*

An fœdere gratiæ confœderati censeamur, non pactione qua nobiscum transigat Deus, sed gratuitâ vocatione facta ad hæreditatem promissionum in Christo? *Neg.*

An præceptum non edendi ex arbore scientiæ boni & mali fuerit Adamo difficile obſervatu? *N. c. Perer.*

Cur Deus ſolam mortem corporalem comminatus fuerit Adamo? *A. q. à Perer.*

An rectè dicatur Euangelium oſtendere peccatum? *A.*

An probetur animas Patrum ante Chriſtum defunctorum fuiſſe in cœlo ſummo ex *Eccl.* 12. 7. *Matth.* 8. 12. *Luc.* 16. 23. & 23. 43. *Matth.* 5. 12. & 25. 34. 41.? *Aff.*

An ex *Apoc.* 13. 8. probetur fideles, qui ante Chriſtum natum vixerunt, per Chriſtum eſſe redemtos, & in cœleſtem gloriam admiſſos? *Inclin. in Neg.*

An ex *Gal.* 4. 24. 2. *Cor.* 3. 6. *Act.* 15. 10. probetur V. & N. T. in propriâ & ſtrictâ ſignificatione differre non ſolum circumſtantiis ſed eſſentialiter? *Neg.*

An fœdus gratiæ cum Adamo pactum *Gen.* 3. 15. renovatum fuerit cum Noa *Gen.* 9. 1. 8. 9. 10.? *Neg.*

An nomine literæ Spiritui oppoſitæ 2. *Cor.* 3. 6. intelligatur V. T. Moſaicum? *Neg.*

An *Lutherus* in Diſp. contra Antinomos rectè dicat: Euangelium eſſe concionem pœnitentię? *Aff. c. nonnullos Lutheranos.*

An Deum Adamo minatum eſſe mortem corporis probetur *hoc arg.* quia Deus ejecit Adamum ex Paradiſo, eique facultatem omnem abſtulit edendi ex arbore vitæ ne ſc. mortem corporis ſibi deſtinatam effugere poſſit? *N.*

An quia fœderis operum miniſterium eſt mortis duntaxat miniſterium, placuerit Deo fœdus gratioſum nobiſcum inire? *Aff.*

An Deus etſi non intendat omnium & ſingulorum ſalutem quibus euangelium prædicatur, tamen agat ſerio? *Aff.*

An licet Apoſtoli ſine diſcrimine omnibus prædicarent hoc unice ipſis præpoſitum fuerit, ut ſervarentur electi? *Aff.*

An Euangelium ante lapſum non potuit Adamo proponi propterea quod mandatum illi fuiſſet ut de ſe ipſo integro crederet ſe in veritate non ſtetiſſe? *Neg. contra Corvin.*

An

An rectè dicatur vocari homines ut credant Euangelio? *Disq. Perm.*

An verbum fœderis gratiæ peculiariter cum Abrahamo & posteris ejus inistion excíderit per Judæorum incredulitatem *ad Roman.* 9. verl. 6. ex eo quod Judæi præterito Christo per opera legis vellent servari. *Neg. contra Remonstr.*

An fœderis gratiæ Abrahamo confirmati nulla sit facta mentio ante Genes. 15. *vers.* 9. 18.? *Neg.*

An fœdus operum testamentum dici possit? *Neg.*

Quomodo testamentum vocetur ante Christi adventum & quomodo Christo exhibito? *Expl.*

An vetus testamentum propriè an verò metonymicè dicatur fœdus vetus? *Aff. posterius.*

An vox veteris testamenti propriissime significet pactum illud legis in monte Sinai inter Deum & Israëlitas initum, quo benedictio promittitur populo temporaria & æterna, si mandata perfecte observet, pœna autem & maledictio in hoc & futuro seculo denunciatur omnibus legem ullâ ratione violantibus? *Neg.*

An Christiani Veteres libros Euangeliorum maluerint καινὴν διαθήκην appellare quam καινὸν νόμον propter rationes à *Grotio in annotationibus excogitatas? Neg.*

An διαθήκης vocabulum *Matth.* 26. 28. *Luc.* 22. 20. significet doctrinam Christi quam morte suâ sanciturus erat. *Neg. c. eund.*

An ex *Rom.* 9. 4. *Ephes.* 2. 12. appareat quod plures olim fuerint διαθῆκαι θεοῦ? *Neg. c. eund.*

An quod scriptis Euangelistarum & Apostolorum contineur Testamentum proprie dictum sit voluntas Christi morte ipsius confirmata? *N. c. Eund.*

COROL-